

nostrum modo volente domino noster effectus fuerit praepositus, id ipsum mox sui sigilli robore confirmabit. Datum et actum anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.XLII<sup>o</sup>. in crastino assumptionis Mariae virginis gloriosae.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Drei an Pergamentstreifen befestigt gewesene Siegel sind abhanden gekommen.

No. 104. 1342. 11. Nov.

*B. Heinrich von Merseburg eignet vier Hufen in Schönau, eine Hufe in Schkeithar und zwei Gärten in Zöllschen, welche das Kloster von Lehnleuten der Merseburger Kirche erkaufte hat, behält der letztern jedoch für den Fall der Wiederveräußerung dieser Güter das Vorkaufsrecht vor.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Cum hominum memoria sit labilis ipsosque fallat oblivio et in probationibus antiquorum praevaleant instrumenta, ut ea quae aguntur instrumentorum testimonio in quantum est possibile perhennentur, nos igitur Henricus dei gratia Mersburgensis ecclesiae episcopus tam praesentium quam futurorum industriae volumus notum esse, quod viri religiosi domini Johannes praepositus, Henricus prior totusque conventus canonicorum regularium monasterii sancti Thomae apostoli in Lypzk pio moti affectu redditus ecclesiae suae amplificare cupientes ab honestis viris Johanne et Hermanno fratribus de Doberchowe quatuor mansos in campis villae Schonowe<sup>a)</sup> sitos solventes annuo censu duas marcas argenti usualis, item a Sophia et Elysaabeth sororibus de Schochere unum mansum in pago villae Scithebur<sup>b)</sup> situatum annuatim unam marcam, unum modium tritici, unam sexagenam ovorum, quatuor pullos et unum manipulum lini qui vulgariter dicitur eyn kloue flaxes solventem, item duos ortos in Czelsin<sup>c)</sup> solventes quatuor solidos grossorum a Brunone de Muckinhayn suis denariis iusto emptionis et venditionis contractu hinc inde interveniente comparaverunt. Quae quidem bona cum omnibus iuribus et pertinentiis, quae pro nunc eisdem insunt aut in futurum quovis modo inesse poterunt, nostri fideles praedicti pro se ac omnibus suis heredibus seu successoribus ad manus nostras unde ea tenuerant libera et soluta omni dolo et fraude principaliter et simpliciter praeexclusis resignarunt nobis humiliter supplicantes, quatenus bona huiusmodi dominis praeposito et conventui nec non ecclesiae eorundem praedictis incorporare et appropriare dignaremur. Nos vero bona praenotata libera et soluta per resignationem memoratorum<sup>1)</sup> fidelium spontaneam in manu nostra tenentes ob spem divinae retributionis ac beati Thomae apostoli ibidem patroni reverentiam atque praefatorum fidelium nostrorum supplicationem devotam dominis et conventui nec non ecclesiae sancti Thomae in Lypzk praeexpressis cum consensu et voluntate honorabilium virorum dominorum Gunczelini praepositi, Engilberti decani totiusque nostrae ecclesiae capituli anneximus et incorporando appropriavimus et annectimus et incorporata appropriamus in dei nomine per praesentes iure proprio habenda et possidenda vel quidquid de ipsis in ecclesia sua saepedicta decreverint disponendum,

a) Schönau, Par. Leutsch. b) Schkeithar, Pfarrd., Kr. Merseburg. c) Zöllschen, Par. Teuditz, Kr. Merseburg.  
1) nostrorum fidelium B.